

non debeat iterari. Quia tui morbo non debetur nisi una medicina. Sed hoc sacramentum est quaedam spiritualis medicina. Ergo contra unum morbum non debet iterari.

2. Præterea. Secundum hoc posset aliquis infirmus tota die ungi, si in eodem morbo posset iterari unctio; quod est absurdum.

Sed contra est quod aliquando morbus diu durat post sacramenti perceptionem, & sic reliquæ peccatorum contrahuntur, contra quas principaliter hoc sacramentum datur. Ergo debet iterato ungi.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam questionem, quod nullum sacramentale, nec sacramentum quod habet effectum perpetuum, debet iterari: quia ostenderetur sacramentum non fuisse efficax ad faciendum illum effectum, & sic fieret injuria illi sacramento. Sacramentum autem quod habet effectum non perpetuum, potest iterari sine injuria, ut effectus perditus iterato recuperetur. Et quia sanitas corporis, & mentis, quæ sunt effectus hujus sacramenti, possunt amitti postquam fuerunt per sacramentum effecta; ideo hoc sacramentum sine sui injuria potest iterari.

Ad primum ergo dicendum, quod unctio lapidis fit ad ipsius altaris consecrationem, quæ est perpetua in lapide, quamdiu altare manet, & ideo non potest iterari: sed hæc unctio non fit ad consecrationem hominis, cum non imprimatur character: & ideo non est simile.

Ad secundum dicendum, quod illud quod secundum æstimationem hominum est extremum, quandoque secundum rei veritatem non est extremum; & sic dicitur hoc sacramentum extrema unctio, quia non debet iterari nisi illis quorum mors est propinqua secundum æstimationem hominum.

SOLUTIO II.

Ad secundam questionem dicendum, quod hoc sacramentum non respicit tantum infirmitatem, sed etiam infirmitatis statum: quia non debet dari nisi infirmis qui secundum humanam æstimationem videntur morti appropinquare. Quædam ergo infirmitates non sunt diuturnæ: unde si in eis datur hoc sacramentum, tunc cum homo ad illum statum perveniat,

DISTINCTIO XXIV.

De ordinibus ecclesiasticis.

Nunc ad considerationem sacræ ordinationis accedamus. Septem sunt spiritualium officiorum gradus, sive ordines, sicut ex Sanctorum Patrum dictis aperte traditur, & capituli nostri, scilicet Jesu Christi, exemplo monstratur, qui omnium officia in semetipso exhibuit, & corpori suo, quod est Ecclesia, eosdem ordines observandos reliquit. Septem autem sunt propter septiformem gratiam Sancti Spiritus, cujus qui non sunt participes, ad gradus ecclesiasticos indigne accedunt. Illi vero in quorum mentibus diffusa est septiformis gratia Spiritus Sancti, cum ad ecclesiasticos ordines accedunt, in ipsa spiritualis gradus promotione ampliore gratiam percipere creduntur.

(1) Al. ethica. (2) Al. quia eo solo. (3) Forte vox.

quod sit in periculo mortis, non recedit à statu illo nisi infirmitate curata, & ita iterum non debet ungi. Sed si recidivum patiat, erit alia infirmitas, & poterit fieri alia unctio. Quædam vero sunt agri-tudines diuturnæ, ut (1) hectica, & hidropisis, & hujusmodi; & in talibus non debet fieri unctio, nisi quando videntur perducere ad periculum mortis: & si homo illum articulum evadat eadem infirmitate durante, & iterum ad similem statum per illam infirmitatem reducat, iterum potest ungi: quia jam est quasi alius infirmitatis status, quamvis non sit alia infirmitas simpliciter.

Et per hoc patet solutio ad objecta.

EXPOSITIO TEXTUS.

Præter præmissa est etiam aliud sacramentum, scilicet unctio infirmorum. Videtur quod male ordinetur: quia cum hoc sacramentum extenuibus detur, debet ultimo poni. Et dicendum, quod alia duo quæ sequuntur, ordinantur ad bonum commune Ecclesie, vel totius humanæ speciei. Bonum autem unius est prius quam bonum multorum, quod ex singularibus bonis consurgit: unde hoc sacramentum debuit ultimo poni inter illa quæ ordinantur ad bonum unius personæ, & ante illa quæ ordinantur ad bonum multitudinis.

Quæ dicitur principalis: (2) quia in ea sola imprimatur character, & datur Spiritus Sancti plenitudo ad robur.

Capita Regum, & Pontificum unguuntur. Contra est quod Reges non unguuntur secundum consuetudinem Ecclesie chrismate in capite, sed oleo in scapulis. Et dicendum, quod illa unctio Regum non est sacramentum, & ideo secundum diversas consuetudines potest diversimode fieri. Vel dicendum, quod exponendum est, Regum, & Pontificum, idest eorum qui habent sacerdotium regale, ut pro eodem sumatur utraque (3) gens.

Sed ex contemptu, vel negligentia. Contra. Negligentia in his quæ non sunt de necessitate salutis, non est damnabilis. Hoc autem sacramentum non est de necessitate salutis. Et dicendum, quod hoc magis accipiendum est copulative quam disjunctive: non enim quælibet negligentia, sed ex contemptu procedens, vel contemptum inducens, damnabilis est.

Non potest confici nisi de pane consecrato: non quod panis consecratus sit materia sacramenti, sed quod ipse panis consecratus sit sacramentum.

Quales assumendi sunt ad clerum.

Tales autem ad ministerium spirituale eligendi sunt clerici, qui digne possint dominica sacramenta tractare. Mellius est enim (1) Domini sacerdoti paucos habere ministros, qui possint digne opus Dei exercere, quam multos inutiles, qui ordinatori grave onus inducant. Tales enim decet esse ministros Christi qui septiformis gratia Spiritus Sancti sint decori, ex quorum doctrina, & conversationis forma, eadem gratia in alios transfundatur; ne cœlestes margaritas (2) spiritualium verborum, officiorumque divinarum (3) sordidæ vitæ pedibus conculcent. In sacramento ergo septiformis Spiritus septem sunt gradus ecclesiastici, scilicet ostiarii, lectores, exorcistæ, acolythi, subdiaconi, diaconi, sacerdotes. Omnes tamen clerici vocantur, idest sortiti. Corona enim signaculum est, quo signantur in partem sortis ministerii divini, Corona (4) quippe regale decus significat, (5) quia servire Deo regnare est. Unde ministri Ecclesie reges esse debent, ut se, & alios regant; quibus Petrus ait, I. Pet. 11. 9. „Vos estis genus electum, regale sacerdotium &c.“ Summitas capitis desuper nudatur, ut eorum mens ad Dominum libera monstretur, (6) qua revelata facie gloriam Dei contemplantur. Summitas enim capitis est eminentia mentis, denudatio capitis est revelatio mentis. Clericus enim secretorum Dei non ignarus esse debet. Tonentur etiam capilli usque ad revelationem sensuum, scilicet oculorum, & aurium, ut vitia in corde, & opere putulancia doceantur præcidendam, ne ad audiendum, & intelligendum verbum Dei præceptiatur mens, pro quo servato reddetur in excelsis corona. Tonsuræ autem ecclesiasticæ usus à Nazareis exortus videtur, qui prius crine servato, deinde ob vitæ continentiam caput radebant, & capillos in igne sacrificii ponebant. Hinc usus inolevit ut qui divinis cultibus mancipantur, quasi Nazaræi, idest Sancti, crine postea inveniantur, sicut ad Ezechielem dicitur, cap. v. 1. „Fili hominis sume gladium acutum, & que super caput tuum, & barbam.“ In Actibus etiam Apostolorum, cap. xviii. Priscillam, & Aquilam hoc fecisse legimus. Paulus quoque, & alii quidam discipuli Christi hoc fecerunt, Act. xxii. (7) Recte ergo in quibuslibet gradibus constituti clerici vocantur, quorum nomina, & rationes nominum Isidorus exponens ait, Lib. VII. etym. tit. de clericis. „Cleros, & clericos, hinc appellatos esse credimus; quia Mathias electus est sorte, quem primum per Apostolos legimus ordinatum. Cleros enim græce, latine sortis, vel hereditas dicitur. Ideo ergo dicti sunt clerici, quia de sorte sunt Domini, vel quia Deum (8) patrem habent. (9) Generaliter vero clerici nuncupati sunt omnes qui in Ecclesia Dei serviunt, quorum gradus, & nomina sunt hæc, ostiarius, lector, exorcista, acolythus, subdiaconus, diaconus, sacerdos.

De ostiariis.

Ostiarii idem, & janitores sunt, qui in veteri testamento, Paral. I, cap. xxvi, electi sunt ad custodiam templi, ut non ingredereur in illud immundus; dicti autem ostiarii, eo quod præsent ostiis templi. Ipsi enim tenentes clavem, omnia intus, & extra custodiunt, atque inter bonos & malos habentes iudicium, dignos recipiunt, indignos respuunt. Unde & eis, cum ordinantur, claves Ecclesie dantur ab Episcopo, & dicitur eis: „Sic agite tamquam rationem Deo reddituri pro rebus quæ clavibus istis recluduntur.“ (a) Hoc officium Dominus in sua persona suscepit, quando flagello de funiculis facto vendentes & ementes eiecit de templo. Ipse enim se ostiarium significans, dicit, Joan. x. 9. „Ego sum ostium: per me si quis intro-nerit salvabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet.“ (10)

De lectoribus.

Secundus est gradus lectorum, Lectores à legendo, sicut psalmistæ à psalmis canendis vocati sunt. Illi enim prædicant populis quid sequantur, isti cantant ut excitent ad compunctionem animos audientium; licet quidam lectores ita miserabiliter pronuntient, ut quosdam ad luctum, lamentationemque compellant. Idem etiam pronuntiatores vocantur, (11) qui porro apte nuntiant: quia tam erit clara eorum vox ut etiam longe positorum aures adimpleant. Ad lectores autem pertinet lectiones pronuntiare, & ea quæ Prophetæ nuntiaverunt, populis prædicare, ut jam ex officio in Ecclesia legant prophetias, & lectiones: unde & ei vidente populo traditur ab Episcopo codex divinarum lectionum, & dicitur ei: „Accipe, & esto verbi Dei relator; habiturus, si fideliter impleveris officium, partem cum his qui bene verbum Dei ministraverunt.“ (b) Qui ad hunc gradum provehitur, literarum scientia debet esse instructus, ut sensum verborum intelligat, vim accentuum sciat, distincte legat, ne confusione prolationis intellectum auditoribus auferat. Atendant quid indicative, quid interrogative sit legendum, ubi sit in oratione faciendi distinctio. Hæc enim male servata intellectum turbant, & alios ad risum provocant. Auribus, & cordi conspiciere debet vox lectoris. Hoc officium implevit Christus, cum in medio seniorum librum Isaie aperiens, distincte ad intelligendum legit: „Spiritus Domini super me &c.“ Isai. lxii. 1. Ex quo lectoribus datur intelligi, quia gratia spirituali clarere debent qui alii verbum Dei annuntiant. Hic ordo formam, & initium à Prophetis accepisse videtur, quibus dicitur, Isai. lvi. 1. „Clama, ne cesses, quasi tuba exaltata vocem tuam.“

(1) Al. Domino sacerdoti: in Magistri textu separatim cuso: mellius est enim Episcopo paucos &c. (2) Al. spiritualia. (3) Al. ordines vitæ &c. (4) Al. decet quippe. (5) Al. & servire. (6) Magistri textus: quæ revelata facie gloriam Dei contemplantur. (7) Addit Nicolaus, ut ait Hugo Lib. II. de sacram. part. 111. cap. 1. ac deinceps. (8) Forte partem. (9) Nicolai, sive Domini partem habent. (10) Nicolai, ait Hugo ut supra cap. vi. (11) Idem: quod porro annuntiet: item al. qui porro ante nuntiant.

Ex Edit. P. NICOL. (a) Ut ex Concilio Carthaginensi IV. c. ix. in Decretis refertur dist. xxiii. c. Ostiarius. (b) Ex c. viii. Concilii Carthaginensis IV. & in Decretis dist. xxiii. c. Lector. (10)

De exorcistis.

Tertius est ordo exorcistarum. Exorcistæ autem ex græco in latinum, adjurantes, vel increpantes vocantur. Ex Isidoro ut supra, & in Decr. cap. Cleros. Invocant enim super catechumenos, & super eos qui habent spiritum immundum, nomen Domini adjurantes per eum, ut egrediantur ab eis. Ad exorcistam pertinet exorcismos memoriter retinere, manusque super energumenos in exorcizando imponere. Debet autem habere spiritum mundum qui spiritibus immundis imperat, & malignum expellere de corde suo, quem expellit de corpore alieno; ne medicina quam alii facit, sibi non prosit, & dicatur ei: „Medice cura teipsum.“ Luc. 11. 23. Hi cum ordinantur, accipiunt de manu Episcopi librum exorcismorum, & dicitur eis: „Accipite, & habete potestatem imponendi manus super energumenos, vel catechumenos.“ (12) Hoc officio usus est Dominus, quando saliva sua tetigit aures, & linguam surdi, & muti, dicens, Marc. vii. 34. „Ephpheta, quod est adaperire.“ per hoc docens nos spiritualiter debere aperire aures præcordiorum hominum ad intelligendum, & ora ad confitendum, ut pulso dæmone Spiritus Sanctus vas suum recipiat. (13) Hoc etiam officio usus est Christus cum dæmoniacos multos sanavit. Hic ordo à Salomone videtur descendisse, qui quendam modum exorcizandi invenit, quo dæmones adjurati ex obsessis corporibus pellebantur. (14) Huic officio mancipati exorcistæ vocati sunt, de quibus Christus in Evangelio, Lucæ xi. 19. „Si ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri, scilicet exorcistæ, in quo ejiciunt?“

De acolythis.

Quarto loco succedunt acolythi. Acolythi vero græce, latine ceroferari dicuntur à deportandis cereis quando legendum est Evangelium, vel sacrificium offerendum. Tunc enim accenduntur luminaria, & deportantur ab eis, non ad effugandas aeris tenebras, cum sole eo tempore fuerit, sed ad signum lætitiæ demonstrandum, ut sub typo luminis corporalis illa lux ostendatur de qua legitur, Joan. 1. 9. „Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.“ Ad acolythum pertinet præparatio luminarium in sacrio. Ipse cereum portat, ipse urceolum cum vino, & aqua suggesta pro eucharistia subdiaconis præparat. Hi cum ordinantur, cum edocti fuerint ab Episcopo qualiter in officio suo agere debeant, ab Archidiacono accipiunt candelabrum cum cereo, (15) & urceolum vacuum (16) Hoc officium Dominus se habere testatur dicens, Joan. vii. 12. „Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris.“ (17) Hujus officii formam illi gerebant in veteri testamento, Exod. xxxii. & Levit. vii. qui lucernas candelabrum componebant, & accendebant igne cælesti ad illuminandas tenebras aquilones. (18)

De subdiaconis.

Quintus est ordo subdiaconorum. Græce hypodiacones vocantur, quos nos subdiacones dicimus. Qui idcirco sic appellantur, quia subjacent præceptis, & officiis levitarum. Oblationes enim in templo a fidelibus suscipiunt, & levitis (19) superponendas altaribus deferunt. Hi apud Hebræos (20) Nathinai vocabantur, id est in humilitate Domino servientes. Ad subdiaconum pertinet calicem, & patenam ad altare Christi deferre, & levitis tradere, eisque ministrare. Urceolum quoque (21) cum aqua, manile, & manutergium tenere; Episcopo, & presbyteris, & levitis pro lavandis ante altare manibus, aquam præbere. His lex continentis imponitur, quia altari propinquantes vasa corporis, & sanguinis Christi portant. Unde illud Isai. lxi. implere debent: „Mundamini qui fertis vasa Domini.“ Ad hos etiam pertinet tantum de oblationibus ponere in altari quantum sufficere possit populo, nec non corporales, & pallas, & substratoria lavare. Hi cum ordinantur, accipiunt de manu Episcopi patenam, & calicem vacuum, ab Archidiacono vero urceolum cum aqua, & manile, & manutergium. Hoc officio usus est Dominus quando lineo se præcinxit, & mittens aquam in pelvim, pedes discipulorum lavit, & lineo tersit, Joan. xii.

De diaconis.

Diaconorum ordo sextum tenet locum propter senarii perfectionem. Hic ordo in veteri testamento à tribu Levi nomen accepit, vel traxit: dicuntur enim & levitæ. Præcepti quippe Dominus Moysi, Num. vii. ut post ordinationem Aaron, & filiorum ejus, (22) rursus tribus Levi ad divini cultus ministeria ordinarerentur, consecrarentur Domino, & serviret pro Israel coram Aaron, & filiis ejus in tabernaculo: ipsique gestarent arcam, & tabernaculum, & omnia vasa ejus, & in circuitu tabernaculi excubarent, & in transportando tabernaculo ipsi deponerent, rursusque componerent. A viginti quinque vero annis & supra jussi sunt.

(12) Nicolai, ait Augustinus, & ex Concilio Carthaginensi IV. c. vii. in Decretis refertur ubi supra cap. Exorcista. (13) Idem, ait iterum Hugo ubi supra. (14) Idem, ut insinuat Hugo, & ex Josepho Lib. VIII. Antiq. Judaic. colligi potest. (15) Nicolai addit, ut sciant se ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari. (16) Idem, ad infundendum vinum in calicem, ex quo consecrandus est sanguis Christi. (17) Idem, ait etiam Hugo. (18) Idem. Quamvis autem in Concilio Carthaginensi IV. & in Decretis ubi supra cap. Acolythus nulla forma verborum præscribitur, sed solummodo ceroferarium (seu candelabrum) cum cereo accipere dicatur, ut sciat se ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari, & accipere item urceolum ad suggerendum vinum in Eucharistiam corporis Christi, tamen in Ordine Romano præscribuntur hæc verba, quæ simul illis dicenda sunt: Accipite ceroferarium cum cereo, ut sciat vos ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari. & in Sacramentario Gregorii: Accipite hoc gestatorium luminis, ut per illud valeatis adversariorum tenebras effugare, & verissimum lumen, quod illuminat omnem hominem, invenire. (19) Idem, sive diaconis. (20) Idem, sive potius Nathanai. (21) Al. hic est infus. cum aqua manili. (22) Al. prorsus.

sunt servire in tabernaculo, Num. viii. quam regulam in novo testamento Sancti Patres constituerunt, quia hæc ætas ad ferenda onera est robusta. (23) Levitæ ergo ex nomine auctoris vocati sunt. De Levi enim Levitæ exorti sunt, à quibus in templo mystici sacramenti mysteria explebantur. Hi græce diacones, latine ministri dicuntur: quia sicut in sacerdote (24) consecratio, ita in diacono ministerii dispensatio habetur. Ad diaconum pertinet assistere sacerdotibus, & ministrare in omnibus quæ aguntur in sacramentis Christi, scilicet in baptismo, in chrismate, in patena, & calice: oblationes quoque inferre, & disponere in altari. Componere etiam mensam Domini, & vestire, crucem ferre, & prædicare Evangelium, & epistolam ad populum. Nam sicut lectoribus veteri testamento, ita diaconibus novum prædicare præceptum est. Ad ipsum etiam pertinet officium precum, & recitatio nominum catechumenorum. Ipse præmonet aures habere ad Dominum, ipse donat pacem, & ipse annuntiat. Quod autem huic ordini à Moysè statutum est, hoc etiam in novo testamento representatur, cum diacono super lævum humerum stola ponitur, & castula in diebus jejunii complicitur: quia quidquid laboris, & sustentatiæ in hac vita toleratur, quasi in læva portatur, donec in dextera, id est in æternitate, requies habeatur. Hic ordo ab Apostolis celebratus est, quando, ut legitur in Actibus Apostolorum, cap. vi. septem viros plenos Spiritu Sancto ad hoc officium elegerunt, & oratione præmissa manus eis imposuerunt. Unde & consuetudo inolevit ut in omni matrice Ecclesia septem diacones circa Christi aram quasi septem columnæ assistant. Hi sunt septem Angeli tuba canentes in Apocalypsi: qui quales esse debeant, Apostolus docet Timotheo scribens. (25) Hi cum ordinantur, solus Episcopus eis manum imponit, quia ad ministerium applicantur. Ponit eis orarium, id est stolam, super lævum humerum, ut per hoc intelligant se accepisse jugum Domini suave, quo ad sinistram pertinentia divini timori subjiciant. Accipiunt & textum Evangelii, ut intelligant se esse (26) præcones Evangelii Christi. (27) Hi autem, antequam ordinentur, probentur, ut docet Apostolus, & sic ministrent nullum crimen habentes. Hoc officio usus est Christus, quando post cenam sacramentum carnis, & sanguinis discipulis dispensavit, & quando Apostolos dormientes ad orationem excitavit, dicens, Matth. vi. 41. „Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem.“ (28)

De presbyteris.

Septimus est ordo presbyterorum. Presbyter græce, senior interpretatur latine. Non modo pro ætate, vel decrepita senectute, sed propter honorem, & dignitatem quam acceperunt, presbyteri nominantur, qui morum prudentia, & maturitate conversationis præcellere dicuntur in populo. Unde scriptum est, Sapient. iv. 8. „Senectus venerabilis est, non diuturna, nec annorum numero computata.“ cani enim sunt sensus hominum, & ætas senectutis vita immaculata. (29) Ideo autem etiam presbyteri sacerdotes vocantur, quia sacra dant: qui licet sint sacerdotes, tamen pontificatus apicem non habent sicut Episcopi: quia ipsi nec chrismate frontem signant, nec Paraclytum dant, quod solis deberi Episcopis lectio Actuum Apostolorum demonstrat. Unde & apud veteres iidem Episcopi & presbyteri fuerunt: quia illud est nomen dignitatis, non ætatis. Sacerdos nomen habet compositum ex græco, & latino, quod est sacrum dans, sive sacer dux. Sicut enim rex à regendo, ita sacerdos à sanctificando dictus est: consecrat enim & sanctificat corpus Christi. Antistes vero sacerdos dictus est ab eo quod ante stat: primus enim est in ordine Ecclesiæ. (30) Ad presbyterum autem pertinet sacramentum corporis & sanguinis Domini in altari Dei conficere, orationes dicere, & dona Dei benedicere: qui cum ordinatur, inunguntur eis manus, ut intelligant se accepisse gratiam consecrandi, & charitatis opera debere extendere ad omnes. Accipiunt & stolam, quæ utrumque tenet laus, quia debent esse muniti armis justitiæ contra adversa, & prospera. Accipiunt etiam calicem cum vino, & patenam cum hostiis, ut per hoc sciant se accepisse potestatem placabiles Deo hostias offerendi. (31) Hic ordo à filiis Aaron sumpsit initium. Summos enim Pontifices, & minores sacerdotes instituit Deus per Moysen, qui ex præcepto Dei Aaron in summum Pontificem, filios vero ejus unxit in minores sacerdotes, Exod. xxix. Christus quoque duodecim elegit discipulos prius, quos & Apostolos vocavit, Luc. vi. quorum vicem gerunt in Ecclesiâ majores Pontifices: deinde alios septuaginta duos discipulos designavit, ibid. x. quorum vicem in Ecclesiâ tenent presbyteri. Unus autem inter Apostolos Princeps extitit Petrus, cuius vicarius, & successor est Pontifex summus: unde dicitur apostolicus, qui & Papa vocatur, scilicet pater patrum. Qualis autem eligi debeat presbyter, Apostolus scribens Timotheo ostendit, I. Tim. iii. ubi nomine Episcopi presbyterum significat. (32) Hoc autem officio usus est Christus, cum seipsum in ara crucis obrulit, idem sacerdos, & hostia; & quando post cenam panem, & vinum in corpus suum, & sanguinem commutavit. (33) Ecce de septem Ecclesiæ gradibus breviter elocuti, quod ad quemque pertineat, insinuavimus. Cumque omnes sint spirituales, & sacri, excellenter tamen canones duos tantum sacros ordines appellari censent, diaconatus scilicet, & presbyteratus: quia hos solos primitiva Ecclesia legitur habuisse, & de his solis præceptum Apostoli habemus. Apostoli enim in singulis civitatibus Episcopos, & presbyteros ordinaverunt. Levitas etiam ab Apostolis ordinaros legimus, quorum maximus fuit beatus Stephanus. Sub diaconos vero, & acolythos procedente tempore Ecclesia sibi constituit.

Quid

(23) Nicolai, ut Hugo ait ubi supra. Et Isidorus: Levitæ ergo &c. (24) In edit. Nicolai consecrato. (25) Nicolai: cum eos I. ad Tim. iii. jubet esse pudicos, non bilivagos, non multo vino deditos, non turpe licium sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura, probatos primum, ut sic ministrent nullum crimen habentes. Cum ordinantur porro, Episcopus &c. (26) Al. prætores. (27) Nicolai omittit, quæ sequuntur usque ad Hoc officio. (28) Nicolai, ait Hugo ut supra c. xi. (29) Nicolai, Ex Hugone ut supra. (30) Nicolai, ait ut supra Isidorus. (31) Nicolai, ait iterum Hugo. (32) Nicolai: cum irreprehensibilem vult esse, ac prudentem, & cæteris virtutibus ornatum, ad Timoth. iii. ubi supra. Hoc autem &c. (33) Idem ut Hugo rursus ubi supra.

Quid sit quod hic dicitur ordo.

SI autem quaeritur, quid sit quod hic vocatur ordo; sane dici potest, signaculum esse, idest sacramentum quoddam, quo spiritualis potestas traditur ordinatis, & officium. Character ergo spiritualis, ubi fit promotio potestatis, ordo, vel gradus vocatur. Et dicuntur hi ordines sacramenta, quia in eorum perceptione res sacra, idest gratia, confertur, quam figurant ea quae ibi geruntur.

De nominibus dignitatis, vel officii.

Sunt & alia quaedam non ordinum, sed dignitatum, vel officiorum nomina. Dignitatis simul, vel officii nomen est Episcopus. Episcopatus autem vocabulum inde dictum est, quod ille qui Episcopus efficitur, superintendat, curam scilicet subditorum gerens. Scopin enim graece, latine intendere dicitur. Episcopi autem graece, latine speculatores interpretantur. Nam speculator est praepositus in Ecclesia dictus, eo quod speculetur, atque prospiciat populorum infra se positorum mores, & vitam. Pontifex est princeps sacerdotum quasi via sequentium: ipse & summus Sacerdos nuncupatur: ipse enim Levitas, & Sacerdotes efficit, ipse omnes ecclesiasticos ordines disponit. (34)

De quadripartito ordine Episcoporum.

Ordo autem Episcoporum quadripartitus est, scilicet in Patriarchis, Archiepiscopis, Metropolitanis, & Episcopis. Patriarcha graece, summus patrum interpretatur, quia primum, idest apostolicum, tenet locum, ut Romanus, Antiochenus, Alexandrinus; sed omnium summus est Romanus. Archiepiscopus Princeps Episcoporum: archon enim graece, latine Princeps dicitur. Metropolitanus autem a mensura civitatum dicitur: singulis enim provinciis praeminet, quorum auctoritati, & doctrinae caeteri sacerdotes subiecti sunt. Solicitudine enim totius provinciae ipsis Episcopis commissa est. Omnes autem superius designati ordines Episcopi nuncupantur. (35) Nota quod Archiepiscopus nomine Primates superius significasse videtur, & Metropolitanorum: quos nunc Archiepiscopos dicimus. Horum autem discretio a Gentilibus introducta videtur, qui suos flamines alios simpliciter flamines, (36) alios archiflamines, alios protoflamines appellabant. Sacerdotes enim Gentilium (37) flamines dicebantur, qui habebant in capite pileum, in quo erat brevis virga desuper habens aliquid lanæ, quod cum per aëstem ferre non possent, filum tantum in capite ligare cœperunt: nudis enim capitibus eis incedere nefas erat. Unde a filo quo urebantur, flamines dicti sunt, quasi filamines. Sed festivis diebus filo deposito pileum imponebant pro sacerdotii eminentia. Vates a vi mentis appellati sunt, cuius significatio multiplex est. Modo enim sacerdotem, modo prophetam, modo poetam significat. Cantor vero vocatur qui vocem modulatur in cantu. Huius sunt duo genera, praecentor, & succentor. Praecentor qui vocem modulatur in cantu, huius sunt duae species, praecentor qui canendo respondet. Concentor autem dicitur qui consonat, (38) vel concinit. Qui autem non consonat, nec concinit, concentor non erit. His breviter tractatis, admonendi sunt Christi ministri, quatenus sicut excellunt ordinis dignitate, ita praecellant vite sanctitate, ut plebs eis comissa, eorumque disciplinis edocta, gratanter eis obediat, & eorum imitatione de die in diem proficiat, a quibus divina sacramenta percipiunt, & Missarum solemnia audiunt. Missa autem dicitur, vel quia missa est hostia, cuius commemoratio fit in illo officio: unde dicitur: „Ite, missa est;“ idest, sequimini hostiam, quae missa est ad caelestia, tendentes post eam: vel quia missus caelestis venit ad consecrandum dominicum corpus, per quem ad altare caeleste defertur hostia. Unde & dicitur: „Missae est.“

DIVISIO TEXTUS.

Postquam determinavit Magister de sacramentis quae ordinantur in remedium unius personae, hic determinat de sacramentis quae ordinantur in remedium totius Ecclesiae: & dividitur in partes duas. In prima determinat de sacramento ordinis, quod ordinatur ad spiritualem multiplicationem, & gubernationem Ecclesiae; in secunda de matrimonio, quod ordinatur ad multiplicationem materialem fidelium, xxvi. dist. ibi: *Cum alia sacramenta post peccatum, & propter peccatum exordium sumpserint, matrimonii sacramentum etiam ante peccatum legitur institutum a Domino.* Prima in duas. In prima determinat de sacramento ordinis; in secunda de conferentibus hoc sacramentum, dist. xxv. ibi: *Solet quaeri, si haeretici... possint et adere sacros ordines.* Prima in duas. In prima de ordinibus; in secunda de quibusdam officiis, vel dignitatibus quae ad ordines consequuntur, ibi: *Sunt & alia quaedam non ordinum, sed dignitatum, vel officiorum*

(34) Nicolai, ait ut supra Isidorus. (35) Nicolai ut Isidorus rursus ait. (36) Idem: alios archiflamines idest flamines principales alios protoflamines (idest primos flamines) appellabant. (37) Idem: ut Isidorus quoque notat. (38) Al. deest vel concinit. (39) Al. quid esse commune.

QUAESTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod inconvenienter ordo in littera diffiniatur, ubi dicitur: *Ordo est signaculum quoddam Ecclesiae, per quod spiritualis potestas traditur ordinato.* Pars enim non debet poni genus totius. Sed character, qui per signaculum exponitur in consequenti diffinitione, est pars ordinis: quia dividitur contra id quod est res tantum, vel sacramentum tantum, cum sit res, & sacramentum. Ergo signaculum non debet poni quasi genus ordinis.

2. Praeterea. Sicut in sacramento ordinis imprimitur character, ita in sacramento baptismi. Sed in diffinitione baptismi non ponebatur character. Ergo nec in diffinitione ordinis poni debet.

3. Praeterea. In baptismo etiam quaedam spiritualis potestas datur accedendi ad sacramenta; & iterum est quoddam signaculum, cum sit sacramentum. Ergo haec diffinitio convenit baptismi; & sic inconvenienter assignatur de ordine.

4. Praeterea. Ordo relatio quaedam est, quae in utroque extremorum salvatur. Extrema autem huius relationis sunt superior, & inferior. Ergo inferiores habent ordinem sicut & superiores. Sed in eis non est aliqua potestas praeminentiae, qualis ponitur hic in diffinitione ordinis, ut patet per expositionem sequentem, ubi ponitur *promotio potestatis.* Ergo inconvenienter diffinitur hic ordo.

QUAESTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod ordo non sit sacramentum. Sacramentum enim, ut dicit Hugo de Sancto Victore, Lib. I. de sacramentis, part. viii. cap. iiii. est materiale elementum. Sed ordo non nominat aliquid huiusmodi, sed magis relationem, vel potestatem: quia ordo est pars potestatis secundum praefatum. Ergo non est sacramentum.

2. Praeterea. Sacramenta non sunt de Ecclesia triumphante. Sed est ibi ordo, ut patet de Angelis. Ergo ordo non est sacramentum.

3. Praeterea. Sicut praelatio spiritualis, quae est ordo, datur cum quadam consecratione, ita & praelatio secularis: quia & Reges inunguntur, ut supra dist. xxxiii. dictum est. Sed regia dignitas non est sacramentum. Ergo nec ordo de quo loquimur.

Sed contra est, quia ab omnibus enumeratur inter septem Ecclesiae sacramenta.

Praeterea. Propter quod unumquodque, & illud magis. Sed propter ordinem efficitur homo dispensator aliorum sacramentorum. Ergo ordo habet magis rationem quod sit sacramentum quam alia.

QUAESTIUNCULA IV.

1. Ulterius. Videtur quod forma huius sacramenti inconvenienter in littera exprimat. Sed efficaciam sacramentorum est ex virtute divina, quae in eis secretius operatur salutem. Ergo in forma huius sacramenti deberet fieri mentio de virtute divina per invocationem Trinitatis; sicut in aliis sacramentis.

2. Praeterea. Imperare est eius qui habet auctoritatem. Sed auctoritas non residet penes eum qui sacramenta dispensat, sed ministerium tantum. Ergo non deberet uti imperativo modo, ut dicitur.

quando de ipsis ordinibus prosequitur, ibi: *Ostiarum idem & janitores sunt.* Tertio ostendit quaedam ordinum dictorum differentiam, ibi, *Cumque omnes sint spirituales & sacri, excellenter tamen canones duos tantum sacros ordines appellari censent.* Secunda pars in septem partes dividitur, secundum quod de septem ordinibus prosequitur, quae partes per se patent in littera.

Sunt & alia quaedam non ordinum, sed dignitatum, vel officiorum nomina. Hic determinat de nominibus, quibus non ordines, sed dignitates, vel officia exprimuntur, & circa hoc duo facit. Primo determinat de nominibus dignitatum; secundo de nominibus officiorum, ibi: *Vates a vi mentis appellati sunt.* Circa primum tria facit. Primo exponit nomen Episcopatus, quod ad dignitatem pertinet. Secundo ponit ejus distinctionem, ibi: *Ordo autem Episcoporum quadripartitus est.* Tertio ponit distinctionem originem, ibi: *Horum autem distinctio &c. a gentilibus introducta videtur.*

Vates a vi mentis appellati sunt. Hic ponit nomina diversa officiorum, & circa hoc tria facit. Primo exponit diversa officiorum nomina. Secundo ostendit qualiter in officiis se habere debeant, ibi: *His breviter tractatis admonendi sunt Christi ministri, &c.* Tertio exponit nomen Missae, ad quam officia distincta requiruntur, ibi: *Missae autem dicitur &c.*

QUAESTIO I.

HIC est triplex quaestio. Prima de ordine in communi. Secunda de distinctione ordinum. Tertia de his quae sunt ordinibus annexa. Circa primum quaruntur tria. Primo. De ipso ordine. Secundo. De effectu ejus. Tertio. De recipientibus ipsum.

ARTICULUS I.

Utrum ordo in Ecclesia esse debeat.

1. **A**D primum sic proceditur. Videtur quod ordo in Ecclesia esse non debeat. Ordo enim requirit subjectionem, & praelationem. Sed subiectio videtur repugnare libertati, inquam vocati sumus per Christum. Ergo ordo in Ecclesia esse non debet.

2. Praeterea. Ille qui in ordine constituitur, alio superior fit. Sed in Ecclesia quilibet debet se altero inferiore reputare: Phil. ii. 3. *Superiores invicem arbitrantur.* Ergo non debet in Ecclesia esse ordo.

3. Praeterea. Ordo invenitur in Angelis propter distinctionem eorum in bonis naturalibus, & gratuitis. Sed omnes homines sunt in natura unum: gratiarum etiam dona quis eminentius habeat, ignotum est. Ergo ordo in Ecclesia esse non potest.

Sed contra. Rom. xiii. 1. *Quae a Deo sunt, ordinata sunt.* Sed Ecclesia a Deo est, quia ipse eam edificavit sanguine suo. Ergo ordo in Ecclesia esse debet.

Praeterea. Status Ecclesiae est medius inter statum naturae & gloriae. Sed in natura invenitur ordo, quo quaedam aliis superiora sunt, & similiter in gloria, ut patet in Angelis. Ergo in Ecclesia debet esse ordo.

In IV. Sent. Tom. V.